



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1657

Cap. XIII. De Baptismo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

clesia Nostra Cathedrali, & quicquid ex veteribus Oleis supereft, comburatur, & cineres conjiciantur in piscinam sacram.

C A P . XIII . De Baptismo.

^{1. c. conve-}
^{nient. de}
^{Presb. non}
^{baptiz. &}
^{cum ita-}
^{que in fin.}
^{de confec-}
^{dit. 4.}

CVM Baptismus janua sit salutis, ac primum maximeque necessarium Sacramentum, ac sanctae regenerationis lavacrum, quo ex filii iræ & diffidentiae in gratiam regeneramur, & in filios Dei adoptamur: Volumus, ut tam Pastores aut eorum Socii, cooperatores seu Vicarii, hoc Sacramentum administratur, quam patrini ac matrinæ, baptizandum ad Templum comitantes, non leviter & perfunditorie id agant, sed cum religiosa pietate ac gravitate ad tanti munera functionem accedant, Deoque gratias agant, qui filium iræ, & hæredem gehennæ, benigne ad Sacramentum regenerationis admittit, ut fiat filius Dei & hæres vitæ æternæ.

2. Ad majorem autem venerationem pietatemque excitandam, curandum est, ut Baptismus semper ante prandium fiat, & Susceptores cum amicis, pro veteris Ecclesiæ ritu, infantem Deo præsentent & offerant; à prandio vero illud non facile admittatur, nisi necessitas aut periculum infanti imminens, aut habitatio remotior, aut alia justa causa, illud requirat.

3. Quoniam vero parvolorum & recens natorum infirma & inconstans est valetudo, adeo ut collatio Baptismi sine vita periculo differri non possit, valdeque sit absolum ut propter respectum aliquem externum diutius filius iræ permaneat, qui in adoptionem filiorum Dei admitti potest: Hinc præcipimus, ne sub aliqua specie, vel causa undecunque quaestita, Baptismus infantium, etiam quorūcunque Nobilium aut insignium personarum, ultra octavum diem differatur.

4. Quod Superior cap. de Sacramentis in privatibus ædibus sine necessitate aut dispensatione non administrandis ex Synodo precedenti repetimus, hoc etiam de infantibus publice in Ecclesia ² baptizandis intelligi volumus, articulo necessitatis excepto, si ob morbum mortisque periculum infans ad Ecclesiam deferri non possit; quo casu Parochus propere acciri debet, aut, si ejus copia non sit, aliis Clericis, aut, illo quoque deficiente, quilibet aliis Christianus ³ homo, habita quantum fieri potest sexus & status distinctione ac prælatione, Baptismum administrare potest, modo debita materia, quæ est aqua naturalis simplex vel sanctificata, & forma quæ est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, adhibeantur: quod si ex periculo infans baptizatus supervixerit, ad Ecclesiam nihil minus deferatur, & Baptismo excepto, reliqua Cæremoniæ, propter necessitatem omisæ, suppleantur.

^{2. Clem. I.}
^{de Baptis.}
^{& eis}
^{effici.}

^{3. c. in ne-}
^{cessitate. &}
^{mulier. &}
^{sanctam.}
^{de confec-}
^{dit. 4.}

5. Accurate vero Parochi examinent obstetrics vel alios, qui in articulo necessitatis baptizasse dicuntur, An, quomodo, quibus verbis, qua forma, qua materia & aqua, & cum qua intentione, baptizarint. Quod si debitam materiam, formam & Ecclesiæ intentionem adfuisse cognoverint, Baptismum (nisi forte ex circumstantiis legitima dubitandi ratio subfit) non repeatant, sed Cæremonias consuetas tantum adhibeant. Si nihil horum adfuerit, aut unum ex illis defuerit, de novo baptizent: si probabiliter dubitent, num essentiale quippiam omisum sit, Baptismum cum conditione conferant; videlicet, Si tu es baptizatus, ego te non rebaptizo; si verò nondum es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

6. Idem faciendum est in expofiticis infantibus, ubi nullum certum & infallibile Baptismi sui præ se ferunt testimonium.

7. In periculo vero, imperfecto, & diffili parti, secundum regulas prudentiæ observandum est, quod Ecclesiæ usus habet & Dd. tradunt.

8. Nullus, nisi prævia licentia Pastoris, problem suam extra Parochiam suam baptizari cureret; & ubi baptizata fuerit, de collato Baptismo Pastori testimonium ferat; quod etiam in libro Baptismali notetur. Pastores tamen raro & non nisi ex gravi causa licentiam talem concedant.

9. Baptizatis nulla alia nomina imponi debent quam Sanctorum; quorum denominatio ac memoria adultis, ad virtutis imitationisque studium, desiderium accendere posit.

10. Diligenter quoque observare monentur Parochi illud, quod in Concilio + Tridentino, ad evitandam difficultatem & pericula impedimenti cognitionis spiritualis, de numero patrinorum constitutum est; ne videlicet plures quam unus vel una, vel ad summum unius & una, ad suscipiendum, sub quovis etiam prætextu, admittantur, nisi Nostram indignationem & condignam penam sustinere ve- lint. Si qui vero alii forte Nobiles pro majori solemnitate & familiæ suæ splendore, ad tangentem infantem, patrionum instar fœlē inge- rant; volumus, ut Parochi ex ipsis duos defi- gnet, qui veri susceptores sint, infantem foli contingent, & cognitionem spiritualiæ contrahant, atque in librum baptizandorum à Parochis inscribantur, reliqui non item; quos tam- men loco testium Baptismi solemnitatibus interesse non vetamus.

11. Patrini ac Matrinæ sint homines pii ac Catholici maturæ ætatis, in Fide atque probatis moribus bene instituti, ut filios suos spiri- tuales in iisdem instruere possint; id enim ipsorum, quam pro infantibus Deo & Ecclesiæ faciunt, sponso requirit; cuius diligenter à Parochis sunt monendi, ac magis eligan- tur

^{4. Sess. 24.}
^{de ref.}
^{mat. c. 2.}
^{& quam-}
^{vis. de co-}
^{gnat. spir.}
^{in 6. canon}
^{plures. de}
^{confecra-}
^{dit. 4.}

^{5. Vos au-}
^{tem. de}
^{confec-}
^{dit. 4.}

tur ii , qui saluti animæ consulere , quam muneribus augere queant.

12 Arcentur autem merito ab ista sponsione , qui nondum ad annos discretionis pervernerunt , nec Fidei rudimenta tenent , utpote Symbolum Apostolicum & Orationem Dominicam ; item , qui , justo impedimento cefante , eo anno peccata Sacerdoti suo confessi non sunt , neque in Festo Pascha sacram Eucharistiam suscepserunt , quique hæresi infecti aut excommunicati sunt. Neque enim convenit , illos tanquam comministros & testes afflere Sacramentis , qui vel de illis male sentiunt , vel quos Ecclesia à divinis arceret , vel qui se ipso à communione & unitate Catholica segregarunt.

^{1. c. plau-}
^{cuit. 16.}
^{q. I. c. per-}
^{venit. 18.}
^{q. 2. c. non}
^{licet. c.}
^{Monach.}
^{57. de}
^{confec.}
^{d. 4.}

13 Regulares quæcunque personæ : utriusque sexus , de Baptismo aliquem fulcipere , aut pro aliis spondere , sacris Canonibus prohibentur. Pastores denique diligenter notent , à te vel aliis in sua Parochia baptisatos ; ut in libro Pastorali expressius continetur.

14 Alienum autem existimamus , magnam hujus mundi pompam circa Baptismum adhibere , ne , ubi unusquisque in Baptismo pollicetur , Satanae renunciare ejusque pompas defere , in ipso vitæ Christianæ limine iis rebus dari opera videatur , quibus potissimum solemnis sponsione renunciatur.

15 Antiquam & religiosam illam consuetudinem , qua puerpera post absolutum puerperii tempus in proximo statim egressu ad Ecclesiam procedunt , ut Deo pro puerperii beneficio gratias agant , ac precibus & benedictione sacerdotali expientur , tanquam piam ac laudabilem conservatam ac revocatam volumus. Nulla verò puerpera ante xxv à partu diem ad benedictionem admittatur ; eaque non nisi à proprio Parocho aut ejus Vicario perficiatur.

^{Act. c. 8.}
^{& 19. ad}
^{Ephes. 4.}
^{v. 30.}
^{Aug. lib.}
^{2. contra}
^{litteras}
^{Petil.}
^{i. can. omi-}
^{nes fideles.}
^{de conse. r.}
^{diss. 5. &}
^{est Vrbani}
^{Martyr.}
^{qui vixit}
^{An. 227.}
^{in exem-}
^{pla ad}
^{omnes}
^{Christia-}
^{nos. c. no-}
^{vissime,}
^{ead. diss.}

CAP. XIV. De Sacramento Confirmationis.

1 Sacramento Baptismi succedit aliud , quod contra hæreticorum infestationes in divina Scriptura fundamentum ac testimonium habet , secundum Ecclesiæ & SS. Patrum receptam ab omni antiquitate sententiam ; & à Patribus antiquis Confirmatio , Vnctio , Chrisma , vel Christiatis Sacramentum appellatur , à quo & nos Christiani denominamur. Quid enim aliud est Christus vel Christianus ? quam Christinatus unctus ? Quod Sacramentum et si non omnibus ad salutem absolute sit necessarium , tamen , cum in eo plenitudo Spiritus sancti conferatur , roburque detur adversus Carnis , Mundi , & Diaboli infidias , utque gratia roborati Fidem Christianam aperta fronte , constante animo , coram toto mundo sine hæsitatione profiteri non eru-

bescamus. Non leviter peccant , qui hanc sibi sollicitudinem non assumunt , ut vel ipsi , vel quorum curam gerunt , hoc salutari præsidio muniuntur , fortisque in Fide constituantur ; multo vero gravius , qui illud per contemptum negligunt. Ut propterea Nos , omnes & singulos subditos nostros serio commonitos esse velimus , ut hanc Spiritus sancti gratiam oblatam magno in pretio habeant , ejusque se participes faciant.

2 Pastores vero & Concionatores in Domino requirimus , ut eò majori diligentia , sollicitudine ac zelo , in fructibus hujus Sacramenti explicandis versentur , quò dident amplius illud ab antiquis & nostri temporis hæreticis derisui & ludibrio habitum , ac præcedenti tempestate in his regionibus neglectum fuisse. De hoc præclare S. Melchiades ^{s. Mel-} Papa: ^{chiarides} In Fonte Deus plenitudinem tribuit ad innocentiam , in Confirmatione augmentum praestat ad gratiam ; in Baptismo regeneramur ad vitam , post Baptismum confirmamur ad pugnam ; in Baptismo abluimur , post Baptismum regeneramur.

^{Epis.ola}
^{ad Epis.}
^{Hisp. &}
^{refertur}
^{c. 2. de}
^{confec.}
^{diss. 5.}

3 Ne vero tam salutari remedio subditi nostri destituantur , eam in Nos curam assumimus , ut per Suffraganeum Nostrum constitutum designatis ab Ecclesia temporibus aliisque , quibus ipse Diœcesis nostram obiturus est , hoc Sacramentum conferatur , nec defint tunc Parochi , cum adventum hunc futurum intellexerint , ut piis exhortationibus & documentis populum præsertim in pagis rudiore , præparent ac disponant , ostendantque , Confirmationis Sacramentum rem esse sanctitatis plenam , inde ab initio Ecclesia magno semper in pretio habitam , magnoque consensu SS. Patrum approbatam , ac propterea hoc magna religione compositaque moribus piè accedendum esse.

4 Inter alia vero de his populum doceant , ut non alii inter adulstos Episcopo sistantur Confirmandi , quam qui prima rudimenta sciant Christianæ Religionis , scilicet Dominicam Orationem , & salutationem Angelicam , ac Symbolum Apostolorum.

5 Qui adulti ad Confirmationem veniunt , ne gratiae Spiritus sancti obicem ponant , sacramentali prius & confessione conscientias suas purgent . gravibus autem sceleribus obnoxii , vel infames , aut sententia excommunicationis ligati , antequam pœnitentiam agant & ritè absolvantur , ad hoc Sacramentum non sunt admittendi.

6 Patrios autem , ad offerendos eos qui confirmati sunt Episcopo , declaramus idoneos , qui primum ipsi sint Catholici , confirmati , maturæ ætatis , ab omni excommunicationis sententia liberi , nec gravioribus criminibus palam obnoxii ; tum qui , eo anno ad Sacramentum Confessionis ac Communionis

C 2 acceſſe-